Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



·IERE

obstupesce: et monebit caput suum.
Sicut ventus urens disperdam eos.
coram inimicis eorum: et non ka
tiem ostendam eis in die perditionis
eorum. Et dixerunt: Venite cogitemus
contra Heremiam cogitationes. Non
enim peribit lex a sacerdote: neque consi
lium a sapiente: nec sermo a propheta.
Venite et percutiamus eum lingua:
et non attendamus ad universos
sermones eius. Attende domine ad
me: et audi voces adversariorum meorum.
Numquid redditur pro bono malum:
quia foderunt foveam animae meae.
Recordare quod steterim in conspectu tuo
ut loquerer pro eis bonum: et auferre
indignationem tuam ab eis. Propter
ea da filios eorum in fame: et deduc
eos in manus gladii. Fiant uxores
eorum absque liberis et viduae: viri earum
interficiantur morte. Juvenes eorum
percutiantur gladio in proelio. audiatur
clamor de domibus eorum. Adduces ei
super eos latronem repentine: quia
foderunt foveam ut capiant me:
et laqueos abscondere pedibus meis.
Tu autem domine scis omne consilium
eorum adversum me in mortem. Ne
propitieris iniquitati eorum: et peccatum
eorum a facie tua non deleatur. Fi
ant corruentes in conspectu tuo: in
tempore furoris tui adverte eis. Cap.
Et dixit dominus. xix.
Vade et accipe lagunculam
figuli testeam a seniorib
populi et a senioribus sacerdotum: et egre
dere ad vallem filii ennom. quae
est iuxta introitum portae fictilis.
et predicabis ibi verba quae ego loquor
ad te: et dices. Audite verbum domini
reges iuda et habitatores hierusalem. Hec
dicit dominus exercituum deus israel.
Ecce ego inducam afflictionem super
locum istum. ita ut omnis qui au
dierit illam tinniant aures eius.
eo quod dereliquerint me. et alienum fecerint
locum istum. et incensum fecerint in eo diis
alienis. quos nescierunt ipse et pa
tres eorum. et reges iuda. Et repleverint
locum istum sanguine innocentium:
et edificaverunt excelsa baalim. ad com
burendos filios suos igni in holo
caustum baalim. quae non preceptis
eis nec locutus sum. nec ascendit
in cor meum. Propter hoc dicit dominus.
Ecce dies venient. et non vocabitur
locus iste amplius tophet. et val
lis filii ennom. sed vallis interfectio
nis. Et dissipabo consilium iuda et
hierusalem in loco isto. et subvertam eos
gladio in conspectu inimicorum suorum.
et in manu quaerentium animas eorum.
Et dabo cadavera eorum escam volati
libus celi et bestiis terre. et ponam civi
tatem istam in stuporem et in sibi
lum. Omnis qui preterierit eam ob
stupescet. et sibilabit super universa
plaga eius. Et cibabo eos carnibus
filiorum suorum et carnibus filiarum suarum.
et unusquisque carnes amici sui co
medet. obsidione et angustia in
qua prement eos inimici eorum. et
qui quaerunt animas eorum. Et cedes
lagunculam in oculis virorum eorum
euntium tecum. et dices ad eos. Hec
dicit dominus exercituum deus israel.
Sic etiam conteram populum istum et civitatem
istam. sicut conteritur vas figuli. quod non
potest ultra instaurari. Et in tophet
sepelientur: eo quod non sit alius lo
cus ad sepeliendum. Sic faciam loco
huic ait dominus. et habitatoribus eius.
ut ponam civitatem istam sicut tophet.
Et erunt domus hierusalem et domus